

Tractatum de Dispensationibus matrimonialibus, quem hoc in loco, apendicis forma, Auctor affert omittere duximus: tum eo quod admodum brevis sese expedit; tum quia de hac re nullus in Jure titulus extat; tum demum, quia si quis de hac perutili materia penitus instructus esse voluerit, utiliter ac fructuose consulere potest celeberrimum atque vulgatissimum opus à M. Erce hispanice conscriptum, cui titulus: Tratado práctico de Dispensas, etc.

(N. L.)

LIBER QUINTUS.

DECRETALIUM GREG. IX.

Absolutis in Libro III. et IV. causis civilibus ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, aggredior causas criminales, seu varia delicta, eorumque penas, quæ sunt præcipuum objectum materiale præsentis Libri.

TITULUS I.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS ET DENUNTIATIONIBUS. ^a

I. *Nota I.* Super delicto, v. g. furto, homicidio, dupliciter procedi posse: *civiliter* ad interesse et commodum proprium actoris; et *criminaliter* ad vindictam publicam, seu ad bonum commune reipublicæ, cujus interest crimina non manere impunita, sive reo infligatur pena corporalis, sive privativa dignitatis, sive pecuniaria fisco applicanda (l. 8. et 28. ff. de jure Fisci.) Ex his patet potissima differentia inter judicium, seu processum civilem et criminalem.

Nota II. Processum criminalem esse duplicem: *ordinarium* per viam accusationis, in quo persona legitimi accusatoris, lite contestata, probationes producit; et *extraordinarium* seu inquisitorium, in quo ipse judex sine prævia accusatione inquit in delicta et delinquentes, sive id faciat ex mero officio suo, sive ad alicujus denuntiationem. Hodiernis moribus, quibus accusatio ferè sublata est, pro-

^a—Agitur de hac materia in Sexto hoc tit.—In Decreto 2. q. 7. 8. et 3. q. 4. et sequ. et 4. q. 1. cum seqq. et 15. q. 3.—In Trid. S. 24. c. 5. 20. et S. 25. c. 14. de refor. et S. 13. c. 6. de refor.—In Pandectis lib. 48. tit. 2.—In Codice lib. 9. tit. 1. et 2.

cessus inquisitorius transivit in ordinarium, vigetque in foro, tam sæculari, quàm Ecclesiastico. Instituitur autem, vel *plenariè*, servato ad unguem ordine juris, vel *summarie*, sola rei veritate inspecta absque figura et strepitu judiciali (*Clem. 2. de V. S.*)

Nota III. In præsentī rubrica tres proponi modos, quibus crimen in iudicium deducitur: *accusationem*, dum accusator crimen defert, et ad illud probandum se obligat; *inquisitionem*, dum crimen ex fama, notorietate facti, vel ex objecta exceptione innotescit, ita ut ad illud, ejusque auctorem inquirendum iudex moveatur; *denuntiationem*, dum quis iudici crimen alienum denuntiat, ut iudex de illo inquireat: et licet denuntiator se non obliget ad crimen probandum, tamen docet, seu informat iudicem, unde legitimas illius probationes desumere possit. Ex quo patet, quæ sit inter hos tres modos differentia principalis. Observa tamen duos posteriores modos pertinere ad processum inquisitorium, cum iste fiat non tantum ex mero officio iudicis, sed etiam ad denuntiationem sive privati hominis, sive publici officialis (*l. 7. C. h. t.*)

§. I.

De processu ordinario per viam accusationis.

2. Q. I. Quid sit accusatio?

R. Est actus solemnis, quo quis criminosum defert in iudicium publicæ vindictæ causa. Solemnitas autem ista à jure præscripta potissimum consistit in duobus:—1.º Ut offeratur libellus querimonialis, in quo exprimatur nomen accusatoris et accusati, iudicis, species facti seu delicti cum suis circumstantiis loci, anni, mensis et dies institutæ accusationis: attamen sine conclusione de pœna, quia hanc lex ipsa dictat; quamvis talis conclusio non vitaret libellum, v. g. *Quare peto ipsum puniri juxta formam juris et statutorum.*—2.º Ut accusator in eodem libello inscribat seu subscribat se in crimen seu in pœnam talionis, si in probatione defecerit: ita hæc omnia statuuntur *l. 3. pr. ff. et c. 16. h. t.* Hæc tamen *inscriptio* sublata est, ne metu pœnæ talionis, deterreantur probi à deferendis criminosis, eique successit satisfactio, seu cautio idonea per fidejussores vel pignora, quibus querelans caveat de querela usque ad finem iudicii persequenda, de solvendis expensis et reparandis damnis (*l. 3. C. de his, qui accusat.*) Effectus libelli accusatorii, seu querelæ propositæ ex parte iudicis est, quod accusatum citare possit etiam realiter per capturam: ex parte *accusati*, quod is referatur in numerum reorum: et ex parte *accusantis*, quod is obligetur probare delictum secundum formam juris.

3. Q. II. Qui accusare possint?

R. 1.º Omnes, qui specialiter non prohibentur; nam edictum de

accusatoribus est prohibitorium in materia generaliter permissa, ut potè tendente ad bonum reipublicæ (*l. 8. ff. h. t.*) Prohibentur autem:—I. Propter sexum mulieres.—II. Propter ætatem pupillus seu impubes.—III. Propter sacramentum milites, et magistratus majores præditi potestate seu imperio mero, ne à suis muneribus avocentur.—IV. Infames infamia juris (*l. 4. ff. h. t.*); et de jure Can. etiam infames infamia facti *Can. 18. querent. 2. q. 7.*), quorum nomine continentur etiam viles personæ.—V. Habentes duo iudicia subscripta contra duos reos, subornati, per pecuniam corrupti, servi et alii enumerati in *l. 4. 8. et seqq. ff. h. t.*—VI. Propter reverentiam accusare non possunt liberi parentes; liberti patronos: alumni educatorem: discipuli magistrum: fratres fratrem sub pœna exilii, et alii, qui recensentur in *ff. h. t. et tit. C. de his, qui accusar.* et *Can. 14. prohibentur 2. q. 1.* Denique qui repelluntur à testimonio, etiam regulariter remonentur ab accusatione, de quibus vide *l. 3. tit. de testib.* VII. Specialiter à jure Can. prohibentur clerici accusare laicos; et econtrà (*Can. 6. Si sacerdotes, 2. q. 7.*); tum quia clerici remoti esse debent à negotiis sæcularibus: tum quia periculum est irregularitatis, si accusatum sequeretur pœna mortis aut mutilationis.—Excipe, nisi clerici et religiosi civiliter delictum deferant in iudicium, putà ad compensationem sibi faciendam pro damnis causatis ex furto vel alio delicto: tunc enim facta protestatione, quod non agant criminaliter ad pœnam sanguinis aut mutilationis, sed præcisè ad suum interesse, nullam irregularitatem incurrunt; licet deinde iudex à iudicio civili transeat ad criminale, et per viam inquisitionis malefactorem convictum condemnet ultimo supplicio; nam si clericis et religiosis non liceret convenire fures et alios malefactores, aperiretur lata via deprædandi bona Ecclesiarum, monasteriorum et clericorum, eosque occidendi et malè tractandi: ita expressè declarat Bonif. VIII. *c. 2. de homicid. in 6.*, ut proinde sine metu irregularitatis prælatus, præmissa protestatione, deferre possit fures et alios malefactores ad compensationem damnorum sibi faciendam.

2.º Accusatores de jure inhabiles admittuntur in certis casibus: ut si suam, suorumque injuriam persequantur (*l. 12. C. de his, qui accus.*); in gravissimis et exceptis criminibus, in quibus etiam testes aliàs minus idonei recipiuntur, ut in crimine læsæ majestatis, hæresi, simonia, sacrilegio, latrocinio, assassinio, falsatione monetæ, fraudatione annonæ, census et pecuniæ publicæ (*l. 7. 8. ff. ad L. Jul. majest. l. 53. ff. de judic.*); in casu, quo agitur de publica utilitate Ecclesiæ vel monasterii (*arg. cap. 3. 5. 11. h. t.*), et ideo clericus accusare potest prælatum, dummodò zelo bono ducatur.

4. Q. III. Qui accusari possint?

R. Regulariter omnes delinquentes usu rationis præditi, nisi specialiter excipiuntur; nam jus naturale exigit quemcumque malefactorem puniri. Excipiuntur:—1.º Mortui (*l. 20. ff. h. t.*), nisi delicto annexa sit pœna confiscationis honorum, ut in crimine perduellionis, hæresis, repetundarum.—2.º Supremo principes, legati eorum, et ma-

gistratus populi, durante eorum officio, nisi contra illud delinquant (*l. 12. ff. h. t.*); ratione tamen peccati principes laici ad tribunal Papæ deferri possunt (*c. 13. de judic.*)—3.^o Pubertati proximi, et puberes minorès acuari quidem possunt, sed pro defensione dandus est eis curator; secùs iudicium erit irritum (*l. 4. C. de auctorit. præstand.*)—4.^o Absens in causa capitali, vel cui infligenda est pœna major relegatione, accusari quidem potest, non tamen regulariter condemnari, sed annotanda sunt ejus bona (*l. 1. ff. de requirend. vel absent. damn.*); at pœna pecuniaria infligi potest, si legitimè citatus non compareat.—5.^o Idem reus à pluribus ejusdem delicti accusari in effectu nequit, sed gravior ex accusatoribus præferendus est (*l. 16. ff. h. t.*): secùs si diversa sint delicta (*l. 2. ff. de privat. delict.*)—6.^o Si crimen sit extinctum via præscriptionis, transactionis, aut morte accusatoris: quod tamen non obstat inquisitioni, præsertim de hodierna consuetudine, quin iudex ad vindictam publicam procedere possit.—7.^o Reus semel absolutus, non potest iterùm de eodem crimine accusari, etiam ab alio accusatore (*c. 6. h. t. l. 7. 14. ff. et l. 9. C. cod.*) Nam reus per sententiam absolutus, restituitur suæ innocentia; et sententia lata contra unum accusatorem parit exceptionem rei judicatæ contra omnes de populo; cùm enim quilibet accusare potuerit, uno, qui prævenit, victo, censentur omnes victi; sicut victo uno procuratore, censentur victi omnes comprocuratores ejusdem litis (*l. 31. ff. de procurat.*)—Excipe, nisi accusatio non fuisset legitimè proposita, vel per collusionem partium elusa, vel nisi in eodem facto plura intervenerint delicta, vel reus absolutus sit tantùm ab observatione iudicii, non verò à delicto: vel nisi post iudicium Ecclesiasticum, in quo pœna sanguinis infligi nequit, causa devolvatur ad iudicem laicum: ex quibus explicatur *l. 3. C. quibus res jud.*, *l. 3. §. 1. ff. de prævaricat.*, *l. 2. ff. de privat. delict.*, *l. 3. §. si mater ff. ad SC. Turpill.* *3. 30. §. in popularibus, ff. de jurejur. c. 5. §. per hoc de pœnis in 6. ibi: Per hoc quoque secularibus potestatibus etc.*

5. Q. IV. *Quod sit officium iudicis in casu accusationis?*

R. 1.^o Si accusatio est legitima, tenetur eam iudex admittere, etsi accusatus infamia delicti non laboret; ità com. cum S. D. 2. 2. q. 68. à *l. ad 3.* Nam iudex ex officio suo tenetur studere bono reipubl.; sed accusatio legitima ordinatur ad bonum reipubl., ne crimina maneant impunita, neque ullo jure constat infamiam prærequiri ad accusationem criminosa; ergò. Interim si nullum timetur damnum reipublicæ vel tertii, lex charitatis dicat, ut quis, antequam deveniat ad accusationem, secretò fratrem moneat de emendatione. Accusare verò regulariter nemo obligatur, nisi delictum certum plenè probari possit, et simul aliter consuli nequeat bono communi, nisi per accusationem (*S. D. loc. cit.*)

2.^o Si accusator est illegitimus et inhabilis, tenetur eum iudex ex officio suo repellere ab accusando, nec tali casu reus citatus tenetur comparere in iudicio: ità *c. 1. h. t.: Si legitimus non fuerit accusator,*

non fatigetur accusatus. Idem statuitur *c. 13. 19. 20. h. t. l. 8. ff. cod. l. 9. 13. 19., C. de his, qui accus.*; nam sicut reipublicæ interest crimina non manere impunita, ità ejusdem interest, ne per illegitimas accusationes subditi, sæpè innocentes fatigentur ex odio, vel alia prava passione accusantis, atque ità quodammodo infamentur; ergò.—Excipe, nisi iudici publicè non constaret de illegitimitate accusatoris; tunc enim reus citatus teneretur comparere, et opponere exceptionem illegitimitatis: quo sensu explicantur *c. 4. 10. ad fin. et 15. h. t. l. 32. ff. si quis in jus voc. l. 5. ff. de public. jud. l. 33. ff. ad L. Jul. de adult.*

Dices: Potest quis in iudicium vocari et condemnari sine accusatore (*l. 3. §. præterea ff. de suspect. tutor. l. 1. §. 6 ff. ad L. Jul. de adult.*); ergò multò magis cum accusatore illegitimo.

R. *D. A. Sine accusatore vero, C. A. Ficto N. A.* In his et similibus casibus lex ipsa, et officium iudicis supplet et sustinet vices legitimi accusatoris.

§. II.

De processu inquisitorio ex officio iudicis.

6. Q. I. *Quid, et quotuplex sit inquisitio?*

R. 1.^o Est legitima indagatio criminis et criminosa per iudicem competentem facta vindictæ publicæ causa: ità in re com. Crimen autem istud debet esse magnum et reipubl. noxium (*c. 21. h. t. l. 6 ff. cod.*): leviora verò delicta, quæ modica pœna pecuniaria vel carceris coercentur, regulariter non tenetur iudex inquirere; imò sæpiùs præstat ea dissimulare.

2.^o Inquisitio est duplex: *generalis*, et *specialis*, quam utramque aliqui sine necessitate subdividunt in *generalem simpliciter*, *specialem simpliciter* et *mixtam*. Sed his ambagibus omissis, *inquisitio generalis* est illa, qua indeterminatè quæritur in delicta: vel si delictum certum sit, in personam delicti auctorem; *specialis* est, qua determinatè in hanc personam inquiritur, an patratum delicti sit auctor. Prior tendit ad reum investigandum, atque ità est præparatoria ad inquisitionem specialem; ista posterior tendit ad examinandum et condemnandum reum, si constiterit eum crimen patratum commisisse. Exquiritur autem à reo veritas primum per interrogatoria seu simplex præceptum iudicis: et si hoc non proficit, devenitur ad quæstionem severam seu torturam, ut per tormenta veritas eliciatur.

7. Q. II. *An processus inquisitorius sit licitus?*

R. 1.^o Inquisitio generalis, quæ plerùmque fit in visitationibus canonicis à prælatis Ecclesiasticis et regularibus haberi solitis, est omninò licita, imò per se præcepta à Trid. *S. 7. c. 8. S. 21. c. 8. de refor., S. 25. c. 20. de Regular.*, conformiter *can. 28. et seqq. 18. q. 2. c.*

7. *de statu monach. c. 1. de censib. in 6.*; nam prælatis incumbit indagare, quomodo subditi vivant, an delicta aliqua perpetrentur, an disciplina Ecclesiastica et regularis observetur, et aliunde de nullo in particulari quæritur, ut consequenter nulli injuria fiat per inquisitionem generalem; ergò. Porrò dum visitator proponit edictum, vel viva voce præcipit, ut subditi manifestent sibi delicta in tali loco commissa, præceptum hoc non extenditur, nisi ad delicta notoria vel diffamata, vel occulta quidem, sed noxia communitati, ità ut per privatam admonitionem corrigi non possint: alia verò delicta occulta merè personalia, quæ soli delinquenti nocent, non tenentur subditi; imò regulariter nec possunt licitè ea manifestare prælato visitanti, nisi servato ordine correctionis fraternæ: ità com. et tuta sententia cum S. D. 2. 2. g. 33. a. 7. ad 5. Hinc etiam Innoc. IV. c. 1. §. *sane de censib. in 6.*, super delictis occultis non diffamatis nullam in specie fieri præcipit inquisitionem.

* Si agatur de hæresi, vel ejus suspicione, denuntiatio facienda est Inquisitoribus S. Officii, etiam nulla præmissa correctione fraterna, licet firma sit spes de emendatione, ex Decreto Alexandr. VII. 8. Jul. 1660. "

2.º Inquisitio specialis, suis instructa requisitis, est licita: ità communis omnium existimatio jure utroque subnixa. Nam jure civili approbatur *l. 13. ff. de off. præsid.*, *l. 1. C. de custod. reor.*, *l. 7. C. h. t.*, Nov. 128. c. 21. *Jubemus omnes judices tam militares, quam civiles per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum aut feminarum, aut alia qualibet in provinciis illicita committunt, et supplicia eis legitima inferre etc.*: jure autem canonico expressè traditur *c. 21. etc. h. t.*; nam ex una parte reipublicæ interest delicta patrata non relinquere impunita: ex altera verò parte rari sunt accusatores in hoc genere odioso; ergò necesse est, ut judex potestatem habeat inquirendi eos, quos delictum perpetrasse publica fama clamat.

Dices: Jus naturale dictat, quòd nullo urgente accusatore, nullus trahendus sit in judicium, ibi diffamandus et puniendus (*c. 1. h. t. l. c. 4. nihil 2. g. 1. et c. 4. de cohabit. Cler. l. 6. §. si quis ff. de munerib.*, *l. 19. C. ad Inst. Jul. de adult.*, *l. fin. ff. de privat. delict.*)—II. Actiones interrogatoriæ generaliter sunt sublatae (*l. 1. §. 1. ff. de interrog. in jure fac.*); inquisitio autem est actio interrogatoria.—III. Ante litem contestatam seu judicium constitutum, nemo cogitur de jure aut facto proprio respondere (*l. 11. C. petit. hæred. c. 1. de prob.*); sed inquisitio non habet litem contestationem, cum nullus sit adversarius, cum quo fiat litem contestatio.

R. *Ad I.* In inquisitione est accusator fictus, ut suprà dixi, qui sufficit ad judicium criminale, ut constat ex pluribus Canonibus *cit. causa 2. g. 1.*; et hoc sensu jura in contrarium allegata explicantur.—*Ad II.* In causis civilibus sublatae sunt actiones interrogatoriæ; non verò in inquisitione criminali rectè instituta.—*Ad III.* Ipsum officium

judicis est adversarius, cum quo lis fictè censetur contestata. Neque reus per hoc diffamatur, sed potiùs diffamatio prævia est causa, cur ad inquisitionem trahatur.

3.º Ad legitimam inquisitionem specialem contra hanc personam requiruntur seqq.:—I. Ut certò constet de corpore delicti, vel per ocularem inspectionem, si delictum in effectu permanet, sicut homicidium, incendium etc., vel per præsumptiones, si delictum est transiens, sicut magia, blasphemia etc.—II. Ut præcesserit infamia seu publica diffamatio rei, quod hujus delicti sit auctor; ut consequenter contra reum non diffamatum judex specialiter procedere non possit illum citando, capiendo, incarcerando: ità com. ex *c. 19. 21. 24. h. t. c. 2. eod. in 6.* et alibi passim. Nam judex criminaliter nequit procedere contra reum, nisi ex scientia publica; sed talem non habet, nisi reus legitimè deferatur judici, vel per famam publicam seu clamorosam insinuationem, sæpiùs aures judicis vellicantem, vel per aliam judicalem intimationem, uti est accusatio aut denuntiatio judicialis; ergò talis infamatio prævia, seu indicia ei æquivalentia vim querelæ habentia, prærequiruntur regulariter ad inquisitionem specialem: secus judex procedendo, peccat, et injustè reum diffamat: quod intellige de inquisitione; quam facit judex ex mero officio suo nobili; secus si inquireat ad instantiam denuntiatoris, infamia necessariò non prærequiritur. Excipe:—I. Crimina gravissima læsæ majestatis divinæ vel humanæ, latrocinii, falsatæ monetæ etc., in quibus sola confessio socii criminis sufficit ad inquisitionem specialem (*l. 5. C. ad L. Jul. majest. l. 6. ff. de custod. reor.*)—II. Si judex ex mandato principis, vel præsentis reo et non contradicente, procedat ad inquisitionem specialem (*c. 1. 2. h. t. in 6.*)—III. Si crimen cum altero crimine est conexum, et ità adulter convictus de adultero inquire potest de eadè mariti in camera adulteræ reperti. Extra hos et similes casus processus inquisitorius sine prævia infamia factus, est ipso jure nullus, sive sit plenarius, sive summarius, cum jura non distinguant (*c. 21. §. 3. h. t.*) Illa autem censetur esse infamatio sufficiens, quæ à personis honestis et fide dignis orta in majori parte communitatis propagatur (*cit. c. 21. et 24. h. t.*)—His non obstat *l. 7. C. h. t.*; nam officialis publicus denuntians reum, vicem famæ supplet, modò non sit inimicus. Cetera in processu inquisitionis circa probationes, exceptiones, torturam, publicationem attestationum, sententiam et executionem ejus servantur ferè eodem modo, ac in processu ordinario: nisi quòd in certis casibus nomina testium, præsertim apud Regulares, non soleant publicari.

8. Q. III. *Qui sint effectus inquisitionis specialis?*

R. 1.º Inquisitio ut suscepta, si præter infamiam adsit probatio semiplena per unum testem integrum, vel indicia semiplenæ probationi æquivalentia, parit in judice jus et potestatem legitimè interrogandi; in reo autem obligationem fatendi veritatem circa delictum infamatum, adeò ut etiam servatis servandis procedi possit ad quæstionem severam, seu torturam pro elicienda veritate.—II. Inquisitio

absoluta trahit post se sententiam, vel condemnatoriam, si reus convictus aut crimen confessus fuit; vel absolutoriam, si reus indicia contra se prolata plenè diluit: plerùmque tamen in subsidium innocentiae indicitur et juramentum purgationis, quo infamia aboleatur (*l. 2. §. 6. 7. C. de jurej. propt. calum. cap. 1. et seq. de purgat. Can. 3.*) Stante inquisitione, hodie non admittitur rei inquisiti accusatio, præsertim apud diversum judicem; quia hodiernis moribus inquisitio est judicium ordinarium, licèt antiquis temporibus accusatio, tanquam remedium ordinarium prævaluerit inquisitioni, tanquam remedio extraordinario.

2.^o Inquisitus, probato crimine, regulariter pœna ordinaria puniendus est: ità Abb., Gonz., Schmier. et alii, quorum sententia praxi tribunalium firmatur. *Prob. ex jure civ. l. 8. ff. de publ. judic.*, ubi Paulus docet durare pœnam legum, cùm extra ordinem crimina probantur; et *l. 2. C. de abolition.* ibi: *Adversus nocentem reum, inquisitione acta, pœna competens ingeratur*, qualis est jure ordinario statuta. *Prob. ex jure Can. c. fn. de celeb. missar.*, ubi pœna ordinaria privationis officii et beneficii infligitur sacerdoti inquisito, qui in pane fermentato, et scypho ligneo sine lumine et aqua celebravit: et *c. 2. de confess.*, ubi Canonico ob simoniacam alterius electionem inquisito imponitur pœna ordinaria privationis officii et beneficii. Neque simonia in hoc casu est crimen exceptum; benè verò si comittatur in ordinis et proprii beneficii assecutione; quia inquisitio hodie est judicium ordinarium; ergò reus inquisitus, probato crimine, ordinaria pœna est puniendus, licèt olim, dum inquisitio fuit judicium extraordinarium, permissi in fuerit judici arbitrari circa majorem vel minorem pœnam (*l. 12. §. 7. ff. de his, qui not. infam.*) In foro tamen Ecclesiastico, ex benignitate et indulgentia, quandoque pro personis aliàs honestis temperatur pœna, maximè si delictum non sit diffamatum, sed detectum solummodò per inquisitionem generalem: quo sensu explicatur *c. 21. h. t. c. 30. de simon.* In crimine tamen simoniæ et homicidii ordinaria pœna infligenda est (*cit. c. 21. h. t.*)

9. Q. IV. *An, si crimen incidens deducatur in judicium, super eo inquiri, et pœna ferri possit?*

R. 1.^o Si reus adversario vel testi via exceptionis crimen objiciat *civiliter*, ut eum repellat ab agendo vel testificando, criminosus ità detectus non substat condemnationi et pœnæ ordinariæ, sed præcisè juxtà intentionem excipientis removetur à judicio, ut communiter accidit (*c. 1. de exceptionib.*)—2.^o Si objecto crimine, excipiatur *criminaliter*, ut criminosus, non tantùm repellatur à judicio, sed etiam pœna delicto commensa puniatur, exceptio ista vim habet accusationis; et consequenter ità excipiens reus fit actor seu accusator, et probare tenetur delictum, uti fit in judicio criminali. Si tamen in probatione defecerit, non punitur pœna calumniatoris, quia parçitur accusato se defendenti, cùm provocatus sit (*arg. l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult.*) Huc referuntur etiam illa crimina, quæ opponuntur electo aut promotò

ad prælaturam, ne possit confirmari vel ordinari, consecrari aut mitti in possessionem; quia talia delicta probanda sunt ab excipiente, tanquam accusatore.—3.^o Si crimina incidenter per exceptionem, vel propriam confessionem rei detecto, judex rationabiliter motus super illo crimine instituat inquisitionem specialem, delictum legitimè probatum substat condemnationi et pœnæ ordinariæ. Nam licèt tale delictum primitus incidenter venerit in judicium, tamen deinde instituto novo processu, est causa principalis criminalis; ergò si legitimè probetur, principaliter ad pœnam ordinariam deduci debet.

10. Q. V. *Quomodo judex procedat in notorio vel flagranti crimine?*

R. 1.^o In crimine notorio procedit absque ordine judiciario, dummodò notorietas delicti probetur per testes, quòd scilicet perpetratum sit in loco publico, præsentem et inspectantem populo: comm. ex *Can. 14. et seqq. 2. q. 1. c. 21. de jurej. c. 3. de testibus* ibi: *Si factum est notorium, non eget testium depositionibus, cùm talia probationem et ordinem judiciarium non requirant*: unde talis sine ullis ambagibus condemnari potest, sicut ab Apostolo condemnatus est Corinthius incestuosus, qui novercam suam in uxorem duxit (*1. Cor. 5.*) Si tamen reo competit aliqua defensio, vel dubium est de illa, citari debet ad se defendendum, ne inauditus condemnetur, uti et ad sententiam audiendam, nisi periculum in mora, scandalum in Republica et evidens notitia, quòd reo nulla competat defensio, suaderet omissionem talis citationis.

2.^o Si crimen flagrans commissum est coràm judice pro tribunali sedente, vel aliàs jurisdictionem exercente, proceditur in eo sine ordine judiciario; nam aspectus judicis cum suo consilio facit evidentiam facti (*l. 2. ff. de feriis.*) Securius tamen erit, si judex statim interroget reum, an crimen coràm se factum fateatur? Si neget, illud per testes probatum reducat in acta; si fateatur, plerùmque non est opus sententia, saltèm solemnè, sed sufficet decretum de pœnæ executione; Clar.

3.^o Si reus à ministris vel aliis deprehensus est in flagranti crimine et ad judicem deductus, tota relatio ab adducentibus facta, per notarium refertur in acta; tum reus examinatur, et si quidem crimen fateatur, decernitur ei competens pœna; si defendat se excipiendo, v. g. quòd occiderit justæ defensionis causa, datur ei terminus ad exceptionem probandam: si neget crimen, repetuntur testes super crimine et deprehensione in flagranti seu actuali perpetratione, quibus convictus condemnatur ad pœnam; plenè verò non convictus, trahitur ad torturam; quia deprehensio in flagranti, sine aliis adminiculis, est sufficiens ad torturam (Farin. Reiff. etc.)

§. III.

De processu inquisitorio per viam denunciationis.

11. Q. I. *Quid et quotuplex sit denunciatio?*

R. 1.^o Denunciatio est: legitima delatio criminis et criminosi apud